

EMBLEMA C VI.

Sit desiderij certa cupido tui.



C VI.

Neutrum capio, dum sector utrumqꝫ.

Quid res sollicitus spargis tua vota per omnes,

Et laceras variis corda cupidinibus?

Multa simul captas, mensque est tibi pendula semper,

Semita quæque tibi dextra, sinistra placet:

Cælebs vita iuuat; iuuat & te vita ligata;

Ducere vis; non vis; quæris vtrumque simul:

Cum tibi tæda placet, varios tuus ardor amores,

Sed nil, quod certâ lege sequaris, habet;

Venari viduas, venari dulce puellas

Credis, & incertum pluribus esse procum.